
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
31 D
32

VITA
F. LAVRENTIJ
BRANCATI

Ex Ordine Minorum Conuentualium Tit. SS. Duodecim Apostolorum S.R.E. Presbyteri Cardinalis Bibliothecarij



DE LAVRÆA.

COMPENDIOSE' DESCRIPTA PER

FR. BARTHOLOMÆVM COMANDVM

Eiusdem Ordinis Min. Conuent. S. Francisci de Castronouo Agrigentinæ Diœceseos S.T.M. præfatæ Basilicæ SS. XII. Apostolorum de Vrbe Parochum perpetuum.





ROMÆ, Typis Hæredum Corbelletti. MDCXCVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.



COSMVS TERTIVS MAGN.
DVX ETRVRIÆ SEXTVS
B. Thiboust Sculp

SERENISSIMO PRINCIPI

COSMO MAEDICEO

MAGNO DVCI ETRVRIÆ

Fr. Bartholomæus Comando de Castronouo Ord. Min. Conu. S.T. Magister.



NSIGNIS pietas, gestaque præclara Emin. q: Cardinalis Fr. Laurentij Brancati de Laurea hoc in opusulo, seù verius æternitatis atramento regesta,


non minùs ipsum respiciunt siuè nobiscum degens, siuè à nobis ereptus consideretur, quàm Serenitatem tuam, cùm beneuolentiæ mutuæ indissolubili ferè nexu vinculum inter vtriusque virtutem intercederet. Quamobrem neque ego, cui cura ęditionis posthumarum lucubrationum contigit, seiungere valeo, neque alteri, quàm Celsissimo nomini tuo ipsum dicare. Benigno igitur, ac pio affectu, quo polles, excipe munusculum, vna cum dicantis obsequio, quod perennaturúm hic tibi sisto. Vale Religionis exemplar, sacrarum, ac bonarum licterarum amantissimus, & Sacri Ordinis Seraphici Patronus eximius.

F. LAV-



F. BARTHOLOMÆVS COMANDVS

pio, benignoque Lectori.



TESTIBVS auricularijs in omnibus præferri oculares iuris vtriusque paginę tàm firmiter statuunt, adeòque euidenter, vt vbique gentium absque istis fidem apud gnaros mereantur vix illi Ioannes ipse, qui summam de pectore Domini sapientiam altè potauerat. *Quod vidimus* [inquit] *oculis nostris, quod perspeximus, quod manus nostræ contrectauerunt &c. testamur, & annunciamus*: Scilicet repetitis,

Cap. Tam litteris de testibus iunc. Gloss. & Canonis. com.

1. Io: c. 1.

tis,

tis, velutque synonimis subinferens vocibus, ideò sibi potissimum absque hæsitatione credendum, vtpotè idoneo testi, & omni exceptione maiori, qui de obiecto visu decerneret, ac profaretur.

Menocch. ibi.

Cæterùm ego diù excogitatam assequuturus prouinciam, laudabilium videlicèt morum, honestæ conuersationis, probatæque vitæ scriptionem FRATRIS LAVRENTII BRANCATI S.R.E. Presbyteri quōdam Cardinalis de Laurça sic cæptis incumbendum præmoneo, vt quod de vxore Loth in statuam salis conuersa, physicè Augustino, idem profectò de me, hominis sal sapientiæ libante, fas sit cuique moraliter dicere: *Vbi respexit, ibi remansit*. Ad hunc siquidem qualemcumque laborem id me primùm impellit, vt quod oculitùs vidi, posteris fideliter tradam, ne deinceps testium de visu penuria sensim ea veritatis deficiat abundan-

S. Aug. de verbo serm. 39.

dantia, quam à testibus solis de auditu fortè produci contigerit. Ea namque mortalium calamitas esse dignoscitur, vt cum sint ipsi mali, vix alios reputent bonos; aut communi exorbitante adagio: *Mala mens, malus animus*. *Ostendunt* porrò *quam sanctè ipsi viuant, qui malè de omnibus suspicantur*. Profectò recenset hoc de Nerone Suetonius, persuasissimum habuisse eum, neminem hominum pudicum, aut vlla parte purum esse: sanè non alia de causa, quàm quod ipse eiusmodi foret, peruerso hoc more grassante, *quod de se sciunt homines, hoc in alijs suspicari, sicut ait Seneca, pessimum in eo vitium esse, qui in id, quod insanit, cæteros putat furere*: haud secus quàm *In via stultus ambulans, qui cum ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat*.

Adag.com. Sancti Hieron. ad Vig.

Sueton. cap. 29.

Ex Concil. Turon. 3. c. 25.

Eccle. 10. 3.

Lustra quasi nouem cum homine ità ego indiuiduus peregi, vt ex ijs, quæ foris gesserit, qualis & intus fuerit, facilè

Sen. De Clem. lib. 1. cap. 1.

cilè ſcire potuerim: *nam ficta citò in naturam ſuam recidunt: quibus veritas ſubeſt, quæque* (vt ità dicam) *ex ſolido enaſcuntur, tempore ipſo in maius, meliuſque procedunt.* Tàm diutina conuerſatione quomodò fuerim deceptus, dicant, qui ſciunt. Alioquin nego me falſum; *nemo enim poteſt perſonam diu ferre.* Abſit verò vt alios fallam, clamante Auguſtino: *Quid glorioſiùs, quàm vinci à veritate? ſuperet te Veritas volentem, nàm & inuitum ſuperabit.*

Sen. vbi ſup.

S. Aug. in pſalm.

Enim verò quis mihi, cuius familiaritate tantus vir iugiter dignatus eſt vti, cui ideò omnium conſcio oculi nihil potuerit, veritatis lucem eat inficiatum aſſiſtere? An excipiat, quod nimium illi ego, nimium mihi ille charus? Quin ob eam cauſam & dicto veracior, & fide dignior extiterim, eò certior, quò charior. Huc reuocetur, ſi lubet, ne videar ſine lege vagari, capitis quinquageſi-

c. Venerabili de electi.

gesimi secundi Canon. de testibus, dum ipse ad alia properans, super hoc immorari dedignor; *vnusquisque enim sibi credi vult, & qui fidem dicenti adhibet, fidem eius obligat.* Sanè contubernales, eiusdemque vniuersitatis conuiuas pro bono communi testantes iura & admittunt, & rogant, pręcipuè si sint Sacerdotes, quorum vt labia scientiam custodire dicuntur, ità in ore nefas sit inueniri mendacium; quidni ergò me falsi incusandi bonæ menti incedat religio, si contra fas hanc exceptionem subaudiat, meam scilicèt labare fidem quòd de homine mihi in amicitijs familiariter iuncto testimonium perhibeam? Alter ipse est, fateor, amicus, animæque dimidium, vt non immeritò Sisygambi pro Alexandro veneratæ Ephestionem, *non errasti*, dixerit, Rex, *nàm & hic Alexander est*. Absit tamen, vt mihi obijciatur: *Tu de te ipso testimonium perhibes, testimonium*

Tit. Liui. apud Cornel. Alap. in Apoc. 22. v. 8.

Felin. in c. 1. insuper n. 6. v. secus si effectus de testib. Alijque relati à Fari nac. de testib. qu. 60. nu. 496.

S. Aug. Confess. lib. 4. cap. 6. n. 2.

Q. Cur. de reb. Alex. l. 3. n. 12.

nium tuum non est verum.

S. Hieron. in vitæ Paul. Ro.

Testor Iesum, & sanctos Angelos eius, ipsumque proprium Angelum, qui custos fuit, & comes sapientissimi & admirabilis hominis, *me nihil in gratiam, nihil more blandientium loqui: sed quod dicturus sum, pro conscientiæ testimonio dicere, & minus esse eius meritis, quem* Vrbs non tantùm, sed & totus *Orbis canit*. Demortuum celebro, cui sicùt neque assentatio placere, ità nec me potest beneuolentia excæcare. Quis Basilio amicior, quàm Nazianzenus Gregorius? Hic tamen illi texuit panegerin funebrem, nec vllatenùs ideò suspectus. Cum boni laudantur, non ipsi, sed Christus in eis laudatur, qui in eis viuit: ità effatur Eminentissimus Hugo. Demùm quod exemplo, etiam iure fieri arbitramur; nam quemadmodùm docti viri cautela magna nobis esse debet instructio, ità sapientiorum acta, & verba, quid, quomodò, & quando

Hugo Card. in Eccl. xi.
Ex Cicer.
Dist. 81. c. loquitur.

do nobis sit agendum, & profandum, sunt dogmata & methodus. *Non ergò negligentia, & contemptu* [verba sunt Theologi Nazianzeni pro Magno Basilio] *officium prætermisimus* [*absit enim vt aut virtutem, aut amicitiæ officium vsque adeò negligamus*] *nec quod hoc laudationis munus cuiquam alij potiùs, quã nobis conuenire arbitremur*: quod totum quàm inculpabilitèr mihi vsurpari valeam, qui legit, intelligat. *Omnium quidèm* (subdo cum Metaphraste in vita pariter S. Basilij] *eorum, qui se ex Deo gessere, vita est pijs vtilissima, vt quæ sit non solùm exemplar, & forma, sed etiam exhortatio ad virtutem*. Itaquè Themistoclis instàr à somno Melciadis trophæis se excitatum clamantis, me quoque experrectum ea ratione profiteor, qua ad Agricolæ soceri facta, moresque pandendos se motum alloquitur Tacitus: *ne magna nimirum, & nobilis virtus lateat, quæ vicit, ac su-* Corn. Tacit. in Vit. Agr.

pergressa est vitium paruis, magnisque ciuitatibus commune, ignorantiam recti, & inuidiam. Porrò, *cum virtutes ijsdem temporibus optimè æstimentur, quibus gignuntur*, hoc in negotio nequaquam præstolandum mihi arbitratus, fidem Origeni habui, qui apud Charensem id suggerit: *Senex currit, Sara accelerat, puer festinauit: Nemo piger inuenitur in domo sapientis.*

Ibid.

Hug. de S. Charo in c. 18. Gen.

Cæterùm & explosis, quæ me ab hac narratione deterrere, & omnibus pensatis, quæ ad eamdem ciere possent, nequaquam me fugit, Duo, Ecclesiæ Doctoribus, iudicari necessaria: *vitam bonam, & sanam Doctrinam. Vita bona facit amabilem: doctrina sana laudabilem. Vita bona tollit occasiones detrahentibus: Doctrina sana resistit contradicentibus.* Dixi ergo diù cogitans: Ecce fulget Cardinalis de Lauræa sana Doctrina, quoniam leguntur ab omnibus libri eius. Quasi ipse loquitur, quan-

Ex Auctore vitæ S. Fulg. Epis. in præfat.

quando codex eius titulatus nomine legitur. Qui autem fiet, vt similiter nota sit omnibus vita eius bona? Quamdiù viuunt ahuc qui nouerunt eum, vel à certissimis testibus aliquid de eius virtutibus audierunt, potest illis præsens memoria verum testimonium perhibere. Quid aget ventura progenies? Quìd in transmarinis partibus, & vltrà montes longè constituta fidelium turba? Cùm peruenerint ad notitiam lectionis, in qua idem Eminentissimus Author absens loquitur, & mortuus viuit, admirabuntur profectò sapientiam: vndè cognoscent Innocentiam? Sicut ergò clara est eius Doctrina, sic clarior fiat etiam vita. Loquamur, & narremus fratribus nostris quomodo vixerit sapientissimus homo.

Pictoribus præfert, & meritò, Theodoretus Scriptores, quos etiam Sculptoribus longè præcellere est communis assertio: Si ergò illis in tabulis, & parieti- S.Theod. Præf. ad hist. Eccles.

rieti-

rietibus corpora exprimendi, marmoribus, & lapidibus effigies incidendi ita est facilis venia, vt iisdem etiam tribuatur fingendi facultas, ea nempè de causa, vt simul oculis hominum delectationem, simul memoriæ rerum gestarum vigorem, diuturnitatemque concilient: quidni Scriptores hoc deceat, qui in libris orationum flosculis, sanè feliciùs, quàm vel incitis, vel lineis hominum complexi facinora, eò firmiorem, & perseuerantiorem memoriam præstant, quò minus ipsorum opera iniuriæ temporis obnoxia reperiuntur? An rerum gestarum paginas recensio, bonorumque vita in arduo posita, & nihilominus in libris obuia legentibus, atque monumentis data animi sapientia, & virtus minus efficax fuerit, quàm vel corporum similitudinem obijciens color, vel membrorum compaginem lapis, seù marmor præseferens?

Ad

Ad magni simulachrum Macedonis ingemiscat, suspiret, illacrhymetur, & rubore suffusus carpat se Iulius Cæsar quòd nihil memorabile egerit in illa ætate, qua totum Orbem sibi Alexander subegerat: talis mehercle, necesse est, sit euentus illius, qui sedula scripturarum inspectione ex bonorum diligentia, atque virtutibus nouerit quanto opprimatur torpore, quibusque irretitus sit vitijs. Enim verò etsi semper quidem opere pretium fuerit illustres virorum describere vitas, vt sint in speculum, & exemplum, ac quoddam veluti condimentum vitæ hominum super terram: nunc maximè id requirit raritas sapientiæ, & nostra planè ætas inops bonorum, vt de eiusmodi lectionibus proficientes ignaui, & ad cor redeuntes peruersi, experiantur in se quòd præclaros viros solitos dicere auditum Q. Max. Pub. Scip. testatur Sallustius: cùm Maiorum imagi-

Ex D. Bernard. præf. in vita S. Malach.

nes

nes intuerentur, vehementiſſimè animum ſibi ad virtutem accendi.

Hic ſcopus, quò meum collimat opuſculum, fronde quidèm, non fructu paruum, quòd non ex priuatione materiæ, non ex tenuitate ſubiecti, vel obiecti exilitate, ſed ex imbecillitate agentis, atque ruditate ſcribentis ſcias, beneuole Lector, non excreſcere in magnum. Hic itaquè liber Laurentij Brancati de Lauræa olim in religione fratris, in Eccleſia poſtmodùm Domini, & Patris mei honori deſtinatus, profeſſione pietatis aut laudatus erit, aut excuſatus. Ego certè gloriam meam non quæro, cui quemadmodum pro minimo eſt vt iudicer ab humano die, ità pro maximo vt diem hominis cum Ieremia non deſiderem. Ergo ſoli Deo honor, & gloria, mihi autem confuſio, & opprobrium, propterea quòd neceſſe ſit vt opprimant onera, quæ ferenti maiora ſunt. Interim ex pro-

Ex Corn. Tacit. in vit. Agric.

Ier. 17. c. 16.

Ex Senec.

profano ore Tullij verbum quasi sacrum arripiens, gemebundus exclamo: *O præclarum diem, cùm ad illud animarum consilium proficiscar, & cùm ex hac turba, & colluuione discedam!* Tandèm reminiscere, Lector benigne, suam propriam energiam, ac veritatem, cùm nullum æquare valet artificium, intrinsecè habere virtutem, quam si in tanto ipse viro complexus non fuero, rogo, habe me excusatum; nàm licet ex Cassiodoro didicerim melius esse confiteri ignorantiam, quàm periculosam sumere audaciam, me tamen confortauit alter ille, qui asserere potuit: in magnis labi generosum peccatum esse. Cuiuslibet enim sit numeri oratio nec augere poterit tanti viri merita, nec minuere: sed proficere tantummodò ad testimonium charitatis, qua illi semper inhærere desiderans, proùt inter viuos admiratus sum, curis, & laboribus magnis deuinctum, non victum,

Cassiodor.

Longin.

Ex præfat. in vit. S. Fulg.

sic

ſic meritis plenum proſequi ego ſpero
inter mortuos liberum, in cœlis
ſcilicèt triumphantem.



Fr. Fe-

Fr. Felix Rotondi à Monte Leone Artium, & Sacræ Theologię Doctor, in Vniuersitate Patauina Theologus publicus; ac totius Seraphici Ordinis Minorum Conuentualium post Sanctum Patriarcham Franciscum Minister Generalis septuagesimus septimus.

CVM opus inscriptum, *Vita Fratris Laurentij Brancati ex Ordine Fratrum Minorum Conuentualium S.R.E. Presbyteri Cardinalis de Laurea* à P. Magistro Bartholomęo Comandi Basilicę SS. Duodecim Apostolorum de Vrbe Parocho emerito concinnatum, & à P. Magistro Balthassare de Naro Ex-Procuratore Generali, ac Romæ Seraphici Collegij D. Bonauenturæ Regente, de mandato nostro reuisum, nil, ex huius attestatione, Orthodoxę Fidei, & bonis moribus dissonum contineat, imò plurimùm alijs profuturum speramus; dùm enim Sapientium mores, Vita, & gesta narrantur, cæteri instruuntur ad exemplum; Propterea luce dignum iudicamus, & quantum in Nobis est, licentiam eidem concedimus, vt, seruatis seruandis, Typis mandare possit, & valeat. In quorum fidem &c. Datum Romæ die 8. Martij 1697.

Fr. Felix Rotondi Min. Gen.

Loco † Sigilli.

Fr. Hieronymus Paghi de Cortona
Secr. & Assistens Ordinis.

NIhil, quod à Fide Orthodoxa sit dissonum, aut optimis moribus obnoxium reperio in hac *Vita Fratris Laurentij Brancati ex Ordine Fratrum Min. Conuentualium à P. Magistro Bartholomæo Comandi Parocho* concinnata, & à me iussu Reuerendiss. P. Magistri Fælicis Rotondi eiusdem Ordinis Ministri Generalis attentè lecta; Quin imò in ea obseruo quod ipsi Cardinali de Lauræa *pro pulchritudine Virtus fuit, pro magnitudine Theologia, pro cursu perpetua agitatio, pro viribus Doctrina semen, sicut in laudem* Magni Basilij scripsit Gregorius Nazianzenus, ideòque meritò Auctor, vt de Athanasio Gregorius ipse loquitur; *Laurentium laudans, virtutem ipsam laudat* in hoc opere. Quapropter *ne maneat sub modio, sed super Candelabrum luceat lux eius, multosque erudiat ad Iustitiam*, vt imitetur post mortem, publici iuris faciendam esse iudico hanc Vitam. Ità scribebam ex Collegio S. Bonauenturæ de Vrbe hac die 2. Martij 1697.

Fr. Balthassar de Naro Ord. Min. Conuentualium Sacerdos.

Impri-

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendissimo P. Mag. Sac. Palatij Apostolici.

Sperellus Episc. Interamnen. Vicesg.



Imprimatur.

Fr. Ioseph Maria Berti Sac. Theolog. Mag. ac Reuerendiss. P. Fr. Paulini Bernardinij Sac. Pal. Apost. Mag. Soc. Ord. Pred.



FR. LAVRENTIVS S.R.E. PRESB. CARD. BRANCATVS
ORD. MINORVM CONVENTVALIVM S. FRANCICI
CARD. LAVRÆA NVNCVPATVS CREATVS DIE I. SEP
TEMBRIS MDCLXXXI.
Obijt die 30 Nouembris 1693.





AVRÆA Policaſtrenſis nùnc Diœceſeos in Parthenopæa ditione haud ignobile Lucaniæ oppidum, alioquin Colonia Vltiana à Cretenſibus condita [ceu quòd antiquitus Ciuitas Epiſcopalis fuerit Salernitani Archiepiſcopatus Suffraganeo decorata] noſtri Cardinalis fuit dignata cunabulis, ipſo infante potita quarto Idus Aprilis anno à Mundi reparata ſalute duodecimo ſuprà millenos, ſexieſque centenos. Temporis circumſtantias prudentèr ſanè deſcriberent Rethores, figuris ornarent Poetæ: Floram puerili obſtetricem fuiſſe: à vere ideò expetitum, vt ſuauiſſimo floræ ſinui admoue-

ret:

ret: à Flora susceptum, ne veris aprico defraudaret complexu. Hinc doctrinæ, virtutumque præsignatam fragrantiam, qua Vir esset futurus Christi odor bonus in omni loco. Hinc morum suauitatem sibi conciliandos omnium animos præostensam. Hinc ad omnia scibilia hominis mentem apertam innotuisse, sicùt & ab illo discipulorum intellectus aperiendos in Scholis, præfiguratum Aprili fucos. Facessant hæ nugæ. Apage hæc futilia. Fucos abhorret veritas. Profectò *ornari res ipsa negat, contenta doceri*. Etiàm de puro argento [monet Augustinus] sordidari aurum, si misceatur. Vita siquidem, quam describere pergo, ex se satis formosa est; quia donis decorata gratuitis; deturparetur illiùs vera species, si vanis calamistraretur illecebris. Nuda oportet sit veritas, quæ tanquàm aurum fulgens, planè sordidatur, si rethoricis misceatur coloribus. Hæc igi-

Manil.

S. Aug. ser. De. in mon. l. 2. c. 21.

igitur prudens, & sciens ego mitto, quemadmodùm & de patria discursum, quam à Lauro nomen adeptam, Lauræam suo Ciui ex tunc posset dici, parasse. Quidni huiusmodi inania sectanti meritò obijciatur & mihi quod Egesię Magnesio Plutarchus, qui Ephesini delubri eo die, quo magnus Alexander natus est, flagrantis incendium truculenta, & frigida ipsius Magnesij oratione extinguendum fuisse improperat, quod Macedoni adulans vociferatus esset: iure Dianæ templum arsisse, quæ in Alexandri ortu obstetricando fuisset occupata?

Plut. in Vit. Alec. cir. princ.

Veriùs crederem, Ioannis Francisci nomine ex fonte baptismatis hausto sub Assisiate Duce vexilla sibi explicanda puerum fuisse præmonitum, Sanctissimi Patriarchæ vocabulum vtrumque non casu certè sortitum. Ait quippè Chrisostomus ponderans nomen Iacob, magnum fuisse priscorum intel-

Ioannes Franciscus nominatus in Baptismo.

S. Franciscus à Patre nominatus fuit Ioannes ex legen. D. Bonau.

lectum, vel potiùs magnam potentiam Dei, qui effecerit vt & mulieres natis nomina non temerè, nec fortuitò imponerent, ſed appellarent filios iuxta futurorum prędictionem,& raró inueniri eodem,quo patres nomine appellari filios,vel fortè nuſquã; ſed ſiue Mater,ſiue pater nomen filio impoſiturus erat,rarum quoddam,& nouum imponebat,vt per illud aliqua futura præſignificaret. Quàm aureã in caſu quoq; rationem militare, vix ego cenſeo in dubium reuocandum, propterea quòd nomen talitèr inditum rei probet felix euentus: Etenim in Ioanne Franciſco haud à veritate alienum viſum eſt illud vulgatum: *Conueniunt rebus nomina ſæpè ſuis*. Sanè à Magno Theologo Ioanne theologicam,qua homo tàm eminentèr polluit, delibaſſe videtur puerulus ſcientiam: ſed & à Franciſco humilitatem, modeſtiam, zelumque Dei Eccleſiæ fulciendæ. Hoc abierit.

S.Io: Chriſoſtomus hom. 51. in cap. 26. Gen. tom. 1.

Sa-

Sapientis est non curare de nominibus. S. Tho. 19 14. ar. 4. ad 2. in fin.

Carpamus igitur narrandi ordinem. Alij altiùs repetant, & ab incunabulis, ipsisque (vt ità dicam) crepundijs Patrem Marcellum Brancatum, matremque Dorotheam Serubbi patriæ ciues haud quaquam ignobiles (proùt ex antiquis monumentis, quibus ædes Minorum de Obseruantia gloriatur, ibidem conijcitur) honestate claros proferat, & commendet vtrosque. Nihil mihi laudandum censeo, nisi quod proprium hominis est: *Probati enim viri genus virtutis prosapia est; quia sicut hominum genus homines, ità animarum genus virtutes sunt. Etenìm familiæ hominum generis splendore nobilitantur, animarum autèm clarificatur gloria splendore virtutis.* S. Ambr. lib. de Noe. & Arc. c. 4. Enìm verò longiùs præstat vt à nobis initium nobilitas, quàm finem sumat: quin eò illud gloriosiùs, quò alterum turpius: Quod non obscurè indigitauit vir sagax, & pru-

dens, qui adolescenti pernobili familiæ ignobilitatem ipsi obijcienti respondisse fertur: mea nobilitas in me incipit, in te tua desinit. *Splendidum te* (sic Philosophia solatur Boethium) *Si tuam non habes, aliena claritudo non efficit*. Genitoris tamen legitimæ Coniugis nomenclaturam non admirari non valeo, quam si in ethimologiæ apponas statera, quanti sit ponderis, nomenque non minùs habens inuenies, dùm non dubites, domum Dei interpretari: Nominique re conueniente in tali filio certè se Dei donum probauit felicissima genitrix.

Boet. de Consol. lib. 3. Pros. 6.

Huic puero nasci non profuit, nisi erudiri profuisset. Meritò sanè non tàm de filio nato, quàm de Philosopho inuento exultauit Pater Alexandri Philippus. Neque abs re Filius Aristoteli scripsit: Mallem singulari disciplinà, quàm potestate præstare. Cæterùm octennis in Deum pietatem, & ad literas incen-

Plut. in vit. Aristot.

Plut. in vit. Alexand.

incensum , flagrantemque animum gerens, Aquilantem Vitalem conciuem in causis forensibus pertractandis insignem, necnon eruditione, & probitate satis clarum (sic enim ab ipso sępè hunc laudatum eo nomine audiui) præceptorem habuit, à quo fidei, ac orationis, humanarumque literarum rudimentis imbutus, quænam in se esset ingenij indoles, subitò manifestissima proferre indicia cæpit: quandoquidèm tertio ætatis lustro omnibus disciplinis, quas Patria ferebat, exhaustis, altiores dùm vehementiùs appetit, prohibet inopia. Abest academia Salernitana, abest Neapolitana, vbi doctiores audiri, vndè perfectiores fas sit decerpere scientias, vndè in studijs tantę spei adolescens proficere valeat. Huic quò abundantior erat Senecæ persuasio: *Perge, Lucili, & propera, ne tibi accidat quod mihi, vt senex discas*: eò deficientior occasio id exequendi, & aliud: Ad Lucil. ep. 76.

tam-

Senec.ibid. *tamdiù discendum esse, quamdiù nescias, et, si prouerbio credimus, quamdiù viuas.* Cæterùm ne temporis, cui vix datur qui aliquod pretium ponat, sibi turpissima foret iactura, vt per negligentiam veniens ad otiandum suadentibus blanditijs domesticis, & à studijs abstinenti deficientia Doctoris, incidit sanum consilium in sortem Domini ingrediendi, nè tandèm & ipsi conquerendum esset cùm illo, qui cecinit.

Damna fleo rerum, sed plus fleo damna dierum,
Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus.

Ad munia Ecclesiastica sortitus animam bonam, instanter petijt à Patre ne abnueret vt Clericali militiæ, quamuis primogenitus esset, ascripticius. Igitur à Policastrensi Antistite D. Antonio Sanctorio intèr Clericos tonsuratos adscitum, Sanctique Iacobi addictum Ecclesiæ Diuinis ibidem operam nauantem

tem

tem muneribus biennium probauit. Sic tantæ ſpei adoleſcens, ad præclara diſpoſitus, ab ingenio colendo paupertate impeditus, vltrà ætatem, vltrà humanitatem obſequutus videtur Auguſtino monenti: *Corrigenda eſt voluntas tua ad voluntatem Dei, & non voluntas Dei curuanda ad te*. Haud inſortem, minùs in Deum querimonijs, ſed magis gratiarum actione reſonuit os eius, vt in voluntatem neceſſitatem conuerteret; quippè laudanda eſt virtus, etiam de neceſſitate facta, iuxtà quod Bernardus Sophiæ Virgini ſcribit. Aug. in Pſal. 35. S. Bern. ep. 113.

Interìm, Lector benignè, Dei lætabundus admirare ſapientiam, cernicus adora prouidentiam, qua ex morbo corporis animus adoleſcentis conualuit, vt meritò Philoſophia id ſuadeat Boethio: *Sola eſt diuina vis, cui mala quoque bona ſint, cùm eis competentèr vtendo alicuius boni elicit effectum*. Ecce Boet. de Conſ. lib. 4: Proſ. 5.

cè matris hæreditario, in horas, necdùm dies ingrauescente, arrostemate Ioannes Franciscus anhelus laborat. Ea calamitas magnum ad felicitatem adolescentis momentum peperit. Seraphici enìm Francisci opem, vt asthmatis alleuietur grauamine implorans de illius capescendo instituto, si exaudiatur, decimo septimo ætatis anno voto se obstringit. Audit Sanctus Pater, conualet bonus filius. Diceres minoritica cæsam veste asthmaticam euanuisse molestiam: vel tùnc anhelitibus apertam viam, cum æger diuinis afflatibus aperuisset cor. Igitur Patris Magistri Ioannis Francisci Serubbi ipsius Genitricis Sobrini gratià, & officio Minorum Conuentualium Ordinis Sacro amicitur vestitu. Verùm vbi fautor vehementèr corpore ægret, tyro animo languet. Illè diem obiturus putatur, hic excidens spiritus domum se recipit; vtque emansor sæculum repetit,

petit,

petit, anhelitus deficit. Ità vitam ægrè ducens, magis magisque corpore, & animo conficitur. Anxium de inconstantia agitant etiàm per somnum species terrificę. nec vigilanti desunt horribilia phantasmata. Quippè instar amantissimi Patris, vt ad se redeat, incutit Deus terrorem incauto filio, ne promissi immemor, sensim voti fiat impos, fodiens in terra talenta, curisque sub mundanis abscondens pecuniam Domini sui. De reditu Nati in patriam dolent parentes, tristatur potissimùm Genitrix, nullum non mouens lapidem, quo ad religionem denuò sternatur via filio. Qui tandèm vt in Seraphicum Conuentualium rursùs sodalitium cooptetur instantiùs deposcens, in sua Prouincia Sancti Nicolai de Bario regulare tyrocinium reassumit, Ioannis Francisci vocabulum linquens, & Laurentij nomine gaudens. Permanet, orbitam complet, annoque

ætatis vndeuigesimo professionẽ emittit, haud quaquam deinceps anhelus. Adeò verum est corporis quandoque pænam prouenire ex animi culpa, qua remota causa, cessare & effectum.

C. Cum infirmitas de pœnit. & remiss.

Studijs acritèr vacans, breui eò doctrinæ, & eruditionis peruenit, vt Octobris mense millesimi sexcentesimi supra trigesimum quartum se Romam conferre potuerit, vbi in Sancti Bonauenturæ collegio Artium Magisterij laurea insignitus, primarijsque Religionis studijs, ac Regentijs, scilicet Neapolis, Auersæ, Ferrariæ, Florentiæ, Bononiæ antistitor, illud fecit in scientijs periculum, vt cuius soliditatis esset hominis doctrina, & virtus, latè celebratum sit, dum & verbi Dei præco iàm destinatus, magno cum fructu, & feruore populis frequentèr proposuit seloquia Domini.

Cæterùm tanti viri scientiæ, atque prudentiæ perspectæ fructibus potitu-

ra

ra Religio, ne,dùm alienis prodeſt, domeſticos nihil iuuet, Secretarium generalem, Ordiniſque aſſiſtentem, adiecto Hiberniæ quoque Prouincialatus titulo, communi denuntiat applauſu. Indè Romani Cœnobij cura homini ceſſit. Diceres contentiſſimis immerſo ſtudijs facultatem vix eſſe emergendi, importabiliaque onera contumacitèr verum in libris quærenti euadere huiuſmodi honores, quibus quantò quis dignior, tantò eſſe ſolet onuſtior. His tandèm leuatur, in lectione Theologorum multus, in Theologicis ſpeculationibus totus. Scoticæ doctrinæ propugnator acerrimus, ſectator fidiſſimus quarti ſententiarum eiuſdem expoſitioni circà octauum ætaeis ſuæ luſtrum ſtatuit ſe dedere. Huius operis claritatem, & dignitatem referre iniuria doctrinę fuerit. Delibatam hominis ſcientiam, mentiſque acumen perſpectum publicis in doctiorum

congreſſibus tanti fecit prudentiſſimus Vir Fabius Cardinalis Ghiſius, qui in Petri Cathedra poſtmodùm ſedens Alexander VII. fuit, vt apud ſummum Antiſtitem Innocentium eo nomine X. plurimùm commendans, & ad liquidum hominis famam perducens, ſummam eidem parauerit opinionem, maximèque auxerit gloriam factam quidem ex ſolido. Hinc in Romanæ Academiæ, quã Sapientiã vocant, Theologũ Fratrem Laurentium aſſumendi ex Motu proprio fuit Pontifici anſa. Hinc deſignandi Sanctę Romanę & vniuerſalis Inquiſitionis Conſultorẽ, Qualificatoremque, & Sacræ Rituũ Congregationis paritèr Conſultorem. Quin ea fuit ſemper in exiſtimatione apud Chriſti Vicarios, vt honorifica munera, quæ nunquam Conuentualium Ordo ſuis collata recenſet, ſe ſubſequuta obſtupuerit. Quid mirum? Raram ſapientiam rarum conſequitur prẹmium

Q. Curt. de reb. Alex. l. 7.

Cæ-

Cæli, & illud videtur consonum: nihil scilicèt tàm altè naturam constituisse, quo virtus non possit eniti.

Interim Antonino Diana, qui Synodalis, & Episcoporum fuerat Examinator, ad æternitatem translato, in Patrem Magistrum de Lauræa (id homini fuit agminis, quo Vrbi claruit, & Orbi) hoc transijt officium, quemadmodùm & Parochorum menstruis conclusionibus assistendi munus, studiorumque de Propaganda Fide Collegij Pręfectura, qua instructoribus præfuit Alumnorum ex tot locis, ex tot regionibus, vbi vel hæresis impunè grassatur, vel dominatur impietas, atque perfidia. Meritò sanè quæ in alijs diuisa, vt digniores, ità occupatiores homines videntur efficere, in hoc simùl collecta suspici potuerunt officia, quippè tanti viri ingenio singula imparia, viz coaceruata adæquarunt nomini, & merito. Alioquin fædum meherclè,

&

& turpe maximè est, munera, quæ vix doctioribus competunt, inscios occupare, quæ profectò non fugare, sed illustrare potiùs ignauiam solent: quo fit vt indignemur ea sæpè imperitis contingere.

Ex Boeth. De consol. l. 3. Pros. 4.

Porrò ità vicit ignorantiam recti Lauræa, vt Alexander VII. prælaudatus obstructiores difficultatum latebras ipsi obuias expertus, in grauissimis S. Sedis negotijs siuè de Fide, siuè de moribus ad extricandos controuersiarum de qualibet materia maximè dubiarum nodos plusquam implicatos semper hominis præclarum animo lustraret ingenium, iudicium exposceret, vteretur opera, tantùm doctrinę ipsius deferens, vt S. Sedis brachium dictitasse iam constet. Summi Pontificis, quale capitis sequuti, vt par est, exemplum Cardinales, alijque Ecclesiæ Præsules, qualia membra, maiores Ecclesiarum causas, præsertim articulos Fidei con-

[illegible]

tin-

tingentes ad Petri Sedem referri solitas tradunt examinandas Lauræ, super eas tanti viri sententiam desiderant, calculum rogant. A prædecessorum sensu haud aberrantes successores Pontifices Clemens IX. & X. Ille Indulgentiarum, ac reliquiarum à se institutæ Congregationi hominem adesse iubens, ei locum præscribit: hic Bibliothecæ Vaticanę custodiam mandat, Visitationisque, Regularium status, & Consistoriali, à qua Religiosi aliàs arcentur, Sacris Congregationibus adstet, imponit. Vt properreà citrà publici sapientiæ Theologi, Sanctique Officij Consultoris munus recensitas hucusque partes primus, solusque obierit in religione, necnon præ cęteris cuiusque Instituti. Ità singulari doctrinę munera singularia cesserunt. Quòd si claritudinem prædicatio facit, quàm clarus fuit homo iste, quem tot, & tàm pręcipui pręd icauerunt viri, Ex Boeth. de Consl.l.3.Pros.6.

quem

quem cùm Ecclesiastici Imperij Monarchę celebrarunt, & Proceres? Sanè hi à calumnia se liberasse noscuntur, qua Principes insimulat Plutarcus, dùm ait: *Verentur doctrinam, vtpotè imperaturam ipsis*. Habuit nostra ętas inauditum omnibus sęculis, celebrandumque miraculum, vt singulis conferenda, singulos deterrentia, singulisque nec dum paria, maiora hominibus onera, solùs Laurea omnia portauerit, summè claro, & verè vnico potitus honore, ceu qui non vilescit in turba; *Latent tamen in multitudine laurea*,

[1] Plutar. in eud. Princ.

Ex D. Hieron. ad Pamach. de dorm. Paulin. Vxor. circ. med.

Cęterum bono communi, omniumque vtilitati deuotus, neque Vrbi, quàm Orbi magis se putans deuinctum, tàm grauibus licèt onustus negotijs, tàm multis ad se vocantibns eum incessantèr officijs, plura tamèn de rebus theologicis, alijsque apprimè necessarijs materijs volumina elucrubauit, quorum ne vitę, quam tęxerę pergimus,

licia

licia abrumpat historiæ, ad calcem remittitur omnium distincta recensio. Huius felicissimi ingenij tot sunt præcones, quot in libris sententiæ, quot in sententijs solida, pręclara, sanaque dogmata, quot dogmatum studiosi, atque contemplatores. Ingenij felicitati velocitas calami, scribendi facilitas, speculandi assiduitas, mentis perspicacitas, ratiocinandi subtilitas, docendique claritas comites semper fuisse, ex editis intelliguntur operibus. Diceres in tanto viro nuper reuixisse vel Cyrum Persarum, Medorumque Regem, qui Militem ductans innumerum, nullius, vt perhibent, ignorauit nomenclaturam, vel Cæsarem dictatorem, cui quatenus insimul de grauibus aliud etiam agenti Epistolas, septenasque (ni diuerteretur aliundè) dictare audireque mos fuisse nauatur, vel Origenem, cuius sena millia volumina se legisse fatetur Hieronymus, tanto donatum

ingenio, vt vix ſepteni ammanuenſes ſufficerent, qui diuerſa colligerent ex eiusdem ore deprompta. De vera orandi methodo clarè, ſubtiliterq; diſſeruit, ac opportunis temporibus opuſcula octo de Oratione Chriſtiana typis vtiliter dedit, quę à doctis, deuotiſque auidè excepta, oſtenſa ſibi potius, quàm data ità parauerũt Bibliopolę, vt mihi ipſi multis ſatisfacturo deijs alteram neceſſe fuerit curare editionem. Me plurimum inſtante, amiciſque deprecantibus, de gratia ſcribendi prouinciam ſumpſit. Nicolaum de Lyra eiuſdem Ordinis Minorum, quo nullum meliùs Sacram expoſuiſſe Scripturam declarare videtur vulgatum adagium: *Delirat, qui cum Lyra non concordat*: in compendium redegit, vt ad omnes materias ſibi obuia eſſent loca vtriuſque Teſtamenti. Quod volumen cum D. Auguſtini operibus, Baronij, Raynaldique Annalibus ſæpè ſæpius reuoluens, penes ſe ſemper voluit.

luit. Pari modo pro Sanctę Inquisitionis gubernio iuxta plurimos casus, qui suo tempore obuenerant, multa exarauit. Demum tot, tantaque fuisse constabit ex Indice ad finem dando quæ vel scripsit, vel edidit, vt verè se probauerit hominem, de quo in Iob Pneumate enunciatur diuino: *Homo nascitur ad laborem*. Iob.5.n.7.

Tam illustrium, omnique eruditione, & doctrina abundantium compositionum elogia quæcumque occineris iusto detrahent, non æquabunt, nec magis proficient, quam quod apud Gellium monet Fauorinus Philosophus: *Turpius scilicet esse frigidè, ac exiguè laudare, quam insectanter, & grauiter vituperare: hoc enim non creditur tamquam dictum inimici, illud verò creditur, tamquam testimonium amici. Nam tepidè laudare*, iuxta aliud apothema, *vituperatio est*. Debitis ergò homini adeò præclaris laboribus fun- Aul. Gell. apud Nauarr. Comment. to. 2. cap. inter verba nu.6. in fine.

 cto,

cto, encomijs nos impares, ne iniusta persoluamus, omittimus quælibet, quod nec æqua, nec iusta probemus. Nemo est laudabilior, teste eloquentissimo Ambrosio, quàm qui ab omnibus laudari potest; ideòque satis laudatæ Laurææ elucubrationes ceu omnibus laudandæ. Equidem nisi prolixitatem nimiam veter, infinita penè ex illius libris recitarem, ex quibus & quàm acre fuerit hominis ingenium, & quàm solida, sanaque doctrina, & quàm sublimis, & eleuata dissertio, liquidò demonstrarem. Cautus in asserendo, moderatior in opinando, hoc est [Stagiritæ decus est apud Plutarchum] nihil aggreditur, quod probare non possit, vt quę in vsu, vitaque conuersantur adiuuare, non aliena, & abhorrentia, & nunquam profutura meditari illum appareat. Qui ambigit, eius de virtutibus theologicis libros attentè, vt par est, legens percurrat, & quomodò inu-

tilia

tilia resecet, solumque pergat tradere vtilia, certior euadet.

Hunc verò quoniam cursu quodam celerrimo præteruecti spatium illius vitæ conspeximus, flectenda iterum ratis est ad mores hominis, cui parum fuit posteros docere verbo, nisi firmasset exemplo. Illud primò tanquam certum præsupponatur, quod Seneca docet; & differit: *Bonos scilicet viros, acceptosque Dijs laborare, sudare, per ardua ascendere, malos autem lasciuiuire, & voluptatibus fluere*. Bonum virum Deus in delicijs non habet: experitur, indurat, sibi illum præparat. Hinc & Magnus Gregorius Golumbo Episcopo scribit: *Minus piè viuis, si minus persecutionem pertuleris*. Quid mirum ergò si & Lauræ nostro talia contigisse narremus, quem Deus sibi elegisse conspicitur? Marcet enim sinè aduersario virtus: tunc apparet quanta sit, quantum valeat, polleatque, cùm quid

Sen. de Prou. c. 1

S. Greg. l. 6. ep. 1.

quid possit patientia ostendit. Itaque viro doctrina insigni, sapientia præstanti fieri nequit æmulos deesse. Inuidiâ sola miseria, & vita infamiæ caret, hincque obuenire solet vt imperante, florenteque nequitia (prout Boethius conqueritur) virtus non solum sit sine præmio, verum etiam sceleratorum pedibus subiecta calcetur. Enim verò cum soli, quod desiderent, possint facere sapientes, iuxta Platonis sententiam, à maledictis eliciebat Laurea benedictiones, ansamque benefaciendi malè de se merentibus ex ipsis persecutionibus prudens, & sciens arripiebat inuidos, & detractores dictitans benefactores. Asserebat neque ioco, aut iactantia, sed verè ex corde, sibi magna conferre bona, qui in ipsum nitebantur congerere mala. Ab inuidis multa quandoque perpessus, haud aliam emisisse vocem, quàm benedicti sint à Domino, vnquam auditus fuit,

Boeth. de Consol. l. 4. Prof. 1.

Plato apud Boeth. cit. Prof. 2.

Eru-

Erubeſcebat fortè docuiſſe Senecam Gentilem, quod ipſe non præſtaret Crucifixi imitator & religioſus: Hoc nimirum *viris bonis eſſe faciendum, vt dura, ac difficilia non reformident, nec de facto qnærantur: quicquid accidit, boni conſulant, in bonum vertant.* In aduerſitatibus, inquam, ſemper fuit conſtans, in calamitatibus alacer, Diuini Magiſtri verum ſe patefaciens diſcipulum, qui ſibi malefacientibns ſemper bona rependeret: vt propterea quamuis laceſſitus, pluriesque vellicatus, fratres ſuos nunquam deſeruerit, quin illis ſemper ita fuerit addictus, vt abſque ijs in nullo ſtatu vitam dixeris agere vix potuiſſe. Suum Cæſarem extollat Roma quòd Valerio Catullo, qui perpetua Stigmata, vt narrat Suetonius, verſiculis impoſuerat ipſi, non tantum pepercerit, ſed eadem die ſecum cœnaturum poetam voluerit. Oh quoties idem præſtitit Lauræa! Sciebat,

Sen. de Prou. c. 2

ma-

magnum exemplum nisi malam fortunam non inuenire; hinc Nazianzeni Theologi fortè vsurpauit eloquium:

Ex Sen, sup. c. 3. *Quota tandem pars est id omne, quod patior, indignitatis illius, quæ Christus, cuius causa pericula subeuntur, consputus ac colaphis cæsus est?*

Multoties ego ipse hoc hominis expertus sum animi robur, tunc verò potiori modo, cum æmulorum opera Roma ipsum deturbandum, præintelligens, tanto essem mærore deiectus, vt neque à fletibus me cohibere possem; siquidem is me conueniens propius accedens, meumque intuens vultum luctu grauem, necnon aciem lacrymis mersam, Apostolica voce clamauit:

Hebr. 13. 8. Iesus Christus, heri, & hodie, ipse & in sæcula. Verè dignum tanto homine effatum. Mētis enim fortitudinem ipse, qui semel se ad omnia sustinenda parauerat, nunquam sibi deponendam monstrauit, vel hac spe innixus, sibi in

om-

omnibus, & vbique fore propitium Christum Iesum, quem certè heri, & hodie esse constat, vt verum hominem, naturam enim humanam his verbis designari testatur Theodoretus, qua licet assumpta, adhuc permanere in sæcula perspicuum est, cum sit verus Deus ęternam quippè, dum subdit Paulus *& in sæcula*, vocasse Diuinitatem aperit idem author.

Theod. in ep. ad Hebr. cap. 13.

Theod. ibid.

Porrò religiosos hominis actus, quos in Monasterio degens exercuit, penitus mihi negligendos haud æqui, bonique facio, & quamuis eorum, qui fecere virtutes (vt ait Crispus) tanta habeatur authoritas, quantum eam verbis potuerunt extollere præclara ingenia, vt propterea imbecillitatis meæ conscius, de ijs loqui erubescam; me tamen cum Boethio solatur Philosophia, quæ asserit inesse dignitatem propriam virtuti, quam protinus in eos, quibus fuerit adiuncta, transfundit. Sanè mi-

Sallust. apud S. Hieron. in vit. S. Hilar.

De consol. lib. 3. Prof. 4.

rum eſt tantis circumdatum, atque circumuallatum occupationibus virum à regularibus penſis immunitatem ità horruiſſe, vt ad matutinas preces, mentalemque orationem cum fratribus octiduum etiam poſtquam coccinei pileoli fuerat decoratus honore, ſemper deuotus conuenerit. Paupercula cella contentus, vix anguſta habuit ſtrata, quæ non mollitiem redolerent, ſed occurrerent neceſſitati. Veſtitus quoque religioſa pauperie dignus, rudis, & anguſtus ab obſeruantia nullatenus abhorrebat Minorum. Pecuniam, quam ex laboribus, ſtudijs, muneribuſque ſuis redigebat, abſit in vana fuiſſe conſumptam, quin & S. Sedis facultate, & Superiorum benedictione ideò cumulauit, vt tempore opportuno in ea, quę Religionis decori, atque neceſſitati forent, ſupra vigeties millena aureorum expendere certè potuerit. Paupertatis itaque verus cultor, nihil ſibi appro-

prians,

prians, omnia sua deseruire voluit Communitati. Hinc omnium rerum à se abdicata cupidine, animæque pede terrena fortiter calcans, nihil habuit quod a cœlestibus se reuocaret, vt facilis ideo sibi esset oratio, qua mens in Deum eleuata ipso frui cæpit in terris, fruitura perenniter tandem in cælis. Huius profectò adeò fuit amans, vt noctu, diuque suas in horas protraheret meditationes, præter eas, quas vna cum alijs Deo fundebat mente, cordeque preces. Indè vires ad patientèr ferendum, inde virtutem sumpsit ad fortiter agendum, non secus ac in illa omnia habens, quam ideò non dimittebat, Seraphici Doctoris nempè sequutus sententiam: *priusquam sis concha, noli esse canalis*. Vtque verum fatear, Diuino monito: *oportet semper orare & non deficere*: satis indulsisse mihi videtur is, qui nullum prætermisit momentum, quo ad Dei gloriam, ac ani- Luc. 18. A. 1.

marum ſalutem ſe gnauiter non exerceret, vociferante Auguſtino: *Quicquid egeris benè age, & laudaſti Deum*. S. Hil. ſup. prim. Pſalm. Per hoc enim efficitur (inquit S. Hilarius) vt ſemper oremus, id eſt per opera Deo placita, & in gloriam eius ſemper exercitata. Nihilotenus ſpecialibus potiebatur ipſius mens precationibus, vt ideò opportunis concinnata temporibus ea ſibi parauerit orationum genera, quæ ex Pſalmis Gradualibus, & Pœnitentialibus conſtant. Deiparæ obſequentiſſimus cultor, eiuſdem officium paruum recitare conſueuit. Præcipua orandi ratione Auguſtiſſimam Triadem, ac benedictiſſimum Ieſum venerando propenſus quatuor Euangelia ea partitus methodo, vt ternis Dei filij prędicationis annis ternę collimarent partes, his Virgini intemeratæ Angelicis Spiritibus, cæteriſque ęternę gloriæ Conciuibus ſe toto ſpiritu commendabat. Gradus Diuini Verbi

bi ſanguine conſperſos, vel certè ſacris veſtigijs, greſſibuſque dignatos, quos Scalam Sanctam appellant, ſingulis hebdomadibus ſemel ſaltèm ei fuit mos aſcendendi, vnde in Dominicæ Paſſionis meditatione exardeſcens, illa pro S. R. E. tranquillitate, ac omnium fidelium ſalute feruidè Deo Patri offerebat. Cuius quinimò ſanctiſſimæ Scalæ hiſtoriam, ſeu compendioſam recenſionem in Vaticana Bibliotheca repertam, vt veritati conſonam intellexit, ne multos lateret, publicandam curauit; ea nimirùm fuit hominis in Chriſtum Dominum fides, atq; deuotio.

Flagrantiſſimum homini, ex quo Sapientialis Lycæi cathedram magiſtralem conſcendit, deſiderium inceſſerat de Sacra Apoſtolorum æde, vtpotè Fratrum Conuentualium curæ iam demandata, ſenſim vetuſtate nimia dilabente, penitus reficienda; quod ſanè, vbi licuit vir animi obluctantis

dif-

difficultatibus completissimè præstitit, omnes prouentus, omnia lucra, quæ & ex adiectis muneribus, & ex exantlatis laboribus cogendi, coaceruandique sibi fas esset, excepto obsecundatura consilio, firmiter meditatus. Opportunitatem ergò ex reposita nactus pecunia, Odeum primò in ampliorem formam restituendum, bibliothecam subindè, quæ huic promineret, ædificandam curauit: æsque deinceps abundantiùs contestum in extruenda, ac exornanda Basilica adeò copiosè effudit, vt viginti aureorum millia (quod supra tactum est) excesserint incredibiles, quas Deo opitulante vir egregius fecit expensas. Absidis præcipuè decorandæ, Sanctorumque Patriarcharum Dominici, & Francisci in huius pingendorum antica, quo beatorum Patrum mutua Charitas in filios quoque transfusa constaret, antiqui voti iam compos se authore lætatus.
Adeò

Adeò in vtrumq; Ordinem ea virtute non quærente quæ ſua ſunt, hic verè Catholicus, & Apoſtolicus vir vehementer exarſit, vt hinc profectò ſint confuſione obruendi, qui quærunt quę ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti. Nec enim à tam magnificis ſumptibus hunc deterrere vnquam potuit quicquid maiori, quàm par eſſet commiſeratione moti, ſecus ſuaderent amici, queis vt in futura emergentia à Deo fortè præordinata quò tàm pecuniæ ſeruaret, monentibus reſpondendi mos fuit: Qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe: Deo interim demus, quæ dat, nam & ipſe reddet. Verè homo generoſitate integer, fide abundans, fiducia præclarus, qui & credidit, & paruit Chryſologo his perſonanti & promiſſis, & monitis: *Non erit in reddendo durus qui eſt in largiendo profuſus. Crede homo Deo, quod tibi Deus dedit, maiora reddere vult, cum vult debere largitor.*

S. Pet. Chryſ. de temp. cura deſp. ſerm. 25.

Age-

Agedùm, Lector, paulò maiora canamus. Fr. Laurentius Magister de Lauræa à Fratrum Cœnobio migrat ad Ecclesiam Primitiuorum, inter Principes collocatur qui hucusque sedit in cinere supra bis centena, & sexagena vndeuigesimi coeuntis lustri, Septembris initium circumlabente spira in Purpuratorum S. R. E. Senatum ab Innocentio XI. Nouocomensi fæliciſſimè, sed & molestæ recordationis [quippè decessit Sanctiſſimus verè Pater probitatis, & sapientiæ iustus censor, dilectorque feruidus) cooptatur Vir egregius Pater Magister de Lauræa Laurentius Brancatus. Amice, Amice, ascende superius, vt sit tibi honor coram simul discumbentibus; eximia namque fulgenti Doctrina, docturo & ducturo deindè maiores, ferculum tibi fecit Regis Salomonis Vicarius, vt sedeas in eminenti qui sedisti satis in imo. Eminentiſſimis Apostolici templi Cardinibus

ecce

ecce inſerta iam Laurea. Procul dubio non eminere non poteſt quæ ſola multitudine eximitur. Ita Bibliothecario primùm conſtituto, proximè Sanctorum duodecim Apoſtolorum acceſſit & titulus. Tanta dignitatis amplitudine ceu torculari arctatum diceres hominis cor, quod in lacrymas fuſum oculis videbatur emergere, quippè cui magnam confuſionem ingens pepererat honor. Domine [facie in humum deiecta, exclamans auditur vir humilis] ne ſit quæſo in confuſionem æternam honor momentaneus. Quod & repetere ſæpius conſueuiſſe, quando potiſſimum Pontificalibus emicans in Sanctorum Apoſtolorum Philippi, & Iacobi celebritate ſolemnem Domino libaret liturgiam, me nullatenus fugit.

Quàm vniuerſalis Dignitati homini magis, quàm additæ addito, obuiauerit applauſus, quales de tanto Viro his præmijs cumulato Pontifici grates cum

Vrbe rependerit Orbis, meis non eſt æqua viribus recenſendi materia. Mirum tamen haud eſt, Principes, Regeſque ipſos Apoſtolico Domno ſe de hoc faſſos obſtrictos, nam dilectus Deo, & hominibus ab aſſentationibus procul, obſequijs propè omnes ſemper fuit, cunctis affabilis, magnis, & paruis benignus, nulli vnquam moleſtus. Decem Congregationibus vt intereſſet noſter Cardinalis, ſtatuit idem ſummus Antiſtes, quibus quam curam, quod ſtudium, quam ſollicitudinem ipſe nauauerit, vel ex eo liquet quòd homini ſenio, non labore confecto accidit bis quino ante ſupremum die, quo ſacro ſuper Epiſcoporum negotia, Regulariumque ſtatum Conuentui feria ſexta anni milleſimi ſexcenteſimi nonageſimi tertij Duodecimo Kalendas Decembris habito, febri licet ægreſcens, aſſidere non abnuit.

Incredibile dictu, audituque religioſum

ſum hominem, paupertatis profeſſorem, diuitiarumque contemptorem, à quo tot aureorum millia ad Domini ſui gloriam profuſa fuerant, ad Eminentiſſimum gradum euectum omnibus abundaſſe, ſtatuique congruentibus ità ſemper potitum, vt qui reſpuerit ſuperflua vltro ſeſe obtulerint neceſſaria, & cum tanto Viro lauda Deum tuum. Ei adiungere ſpiritu,Diuinæque Prouidentiæ gratias agendi methodum diſce ab eodem, cuius in ore iſta ſemper fuere: Deus, cuius miſericordiæ, & prouidentiæ non eſt numerus: Dominus regit me, & nihil mihi deerit:in loco paſcuæ ibi me collocauit.

Porrò falſum omninò præ ſe tulit vulgatum adagium: Honores mutant mores: quippè ſola dignitate immutatus, eandem retinuit dignationem, vt propterea & ſuorum Fratrum iugi conſuetudine admodùm oblectaretur, &

tàm regularibus, quàm sæcularibus, ità laicis, sicut & Clericis se mitem, omnibus omnia factum, benignumque prę-beret; in victu, vestitu, & moribus haud diuersus ab eo, qui fuerat in minoribus inter minores, eamdem, quam in Religione semel assumpserat, seruans vbique modestiam. Ab aulæis se abstinuit, à superfluis abhorruit. Vestium colorem in famulis, & supellectilium, vt in cortinis, leucopheum, seu cineritium solum permisit. Huic neque orandi, deprecandique rationem reddidit exoletam gradus adiectus, quin & in precationibus superius recensitis perseuerasse, & quotidiè incruentam hostiam litasse. Ità certum est vt Sabbatho quoque postridie, quo ægruit, deuotè sacrum fecerit, priusquam decumberet haud amplius surrecturus. Ea fuit hominis fides, spes, & charitas, vt diuina ope semper innixus, diuinam gloriam semper anhelans,

pro-

proximorum vtilitati, sanctæque Ecclesiæ progressui semper intentus, in laboribus plurimis, in studijs supra modum sibi nihil parcens, Deo ità famulari studuerit, vt à die, qua sacerdotio initiatus [quod in Lateranensi fano sexto decimo Kal. Iunij Anni trigesimi sexti supra sæculum sextodecimum egit Dominus Cannarola] sacrificare cæpit, vicies millies septingenties, bisque & decies rem diuinam fecisse ex eiusdem constet chirographo, quo reperto, ego ipse magna animi voluptate potior, ea, qua par est, in existimatione ipsum habens, penesque me perpetuò seruaturus.

Itaque suæ peregrinationis Viatico quotidiè munitus, quid potissimum magnos inter applausus, publicis in acclamationibus homo volutaret in animo, quo figeret aciem, ne positus in eminentia, malesuadæ ambitionis vertigine circumactus succideret, facilè

con-

çonijciet qui ipſum ad ſtamina Parcæ danda vltroneum, ſemperque paratum fuiſſe minimè ignorauerit. Singulis diebus luctari videbatur cum morte, & haud ſecus, quàm inſtaret ſuprema vitalis periodus, quotidianum ei fuit hoc ſoliloquium: Proficiſcere Anima Chriſtiana [tempore opportuno] de hoc mundo in nomine Patris Omnipotentis, qui te creauit, in nomine Ieſu Chriſti Filij Dei, qui pro te paſſus eſt, & in nomine Spiritus ſancti, qui in te effuſus eſt. Suum cinerem habens pro ſpeculo, æternitatem pro obiecto, culmine haud paſſus eſt ità decipi temporali, vt gloriæ oblitus permanſuræ, nimium fideret tranſitoriæ. Verecundabatur ſibi ſtoicum ſuaſum ire: *Oſtenduntur iſta res, non poſſidentur, & dum placent tranſeunt*. Porrò & meliùs, quàm iſte nouerat. *Virum fortem, & ſapientem non fugere debere ex vita, ſed exire*. Nec verò incipiebat tunc viuere,

Senec.

Senec. Ep. 24.

re, quo non possetesse paratus ad mortem. Contempsit ergo vitam, non metuit. Et vt sapiens mortem non expetiuit, sed expectauit. Haud opus fuit vt tanto viro suggeret Seneca: *Ante omnia ille quoque vitetur affectus, qui multos occupauit libido moriendi* Quemadmodum nempè Cardinalis Lauræa opportunum ad proficiscendum opperiebatur tempus, ità hoc maximè compertum illi erat, nihil in morte esse terribile, nisi ipsum timorem. *Ergò nec mori timuit, nec viuere recusauit.* Sed neque is fuit, vt sibi esset cauendum à vita, cuius euaserat maiora pericula sui ipsius victor; vt propterea haud altiora quærens, haud abiectiora metuens, nec deiectus in aduersis, nec elatus in prosperis, semper intellexerit se maiorem, quàm vt eiusmodi vel cupidinum, vel vanitatum foret vile mancipium. Siquidèm, vt deiectę mentis est flagrare in maiora, *ità magni animi*

Ibid.

Ex Sen. ibid.

Senec. ep. 39.

mi est magna contemnere, ac mediocra malle; quàm nimia: Sanè beatus Vir, *Vera quippè beatitudo est* (S. Eucherio teste) *sæculi beatitudinem spernere, neglectisque terrenis, in Diuina flagrare*.

S. Eucher De contemp. mundi.

Vt igitur seruus fidelis, & prudens Domini sui præstò labatur aduentum, ità mihi sæpenumero talia consueuit affari, scilicet, veniet dies, Pater Paroche, qua summum sis mihi charitatis persoluturus officium, *per istam sanctam vnctionem &c.* Hinc omnia pro parentalibus sibi tanquam mox decessuro præparauit sospes, & incolumis: pecuniam talibus sufficientem in ærario SS. XII. Apostolorum deposuit: sacra indumenta, ligneum, plumbeumque loculos cum lapide sepulchrali, omnia denique spectantia ad funus instruxit. Locum quoque, vbi tumulandum esset cadauer in ima planitie, videlicèt iuxtà Fratrum suorum monumentum, pro sui modestia, charitate, & hu-

humilitate co nſtituit. Sic tanto homini paruus humus? vitæ complete gloria perennis marmorũm non defuturo poſteris ad exemplar grata mei ergà eum effulgebit memoria. Diſce interim tu vbi ſit prudentia, vbi ſit virtus, vbi ſit intellectus, omnemque ſollicitudinem exvere volens, quicquid vereris ne eueniat, euenturum vtiquequin, & iam euenire propone; ſimulque reminiſcere, non tantùm fortes Viros hoc momentum efflandæ animæ contempſiſſe, ſed quoſdam ad alia ignauos in hac re exæquaſſe animum fortiſſimorum. Agedùm ſit tibi exemplar adeò preclarus Vir, vt te pudeat reliquias vitę tibi reſeruare, & id ſolum tempus bonæ menti deſtinare, quod in nullam rem conferri poſſit. Audi Stoicum, & rubore ſuffundere, fidelẽ ab infideli bonos mores edoceri: *quàm ſerum eſt tunc viuere incipere, cum deſinendum eſt*! Immunis ſolus Cardinalis Lauræa potuit

Baruc. 3. 1.

Ex Sen. ep. 24.

Ex Sen. de breu. vitæ cap. 4.

 eſſe

esse ab eiusdem sugillatione: *Tanquàm semper victuri viuitis: nunquam vobis fragilitas vestra succurrit.* Sen.ep.77.

Enim verò quomodò fabula, sic vita: non quamdiu, sed quàm benè acta sit, refert. Hoc sanè cogitauit Cardinalis Lauræa, hoc semper præ oculis habuit, ideòque vt funus sibi viuens curauit, sic & cætera quoque disposuit: nam Domesticis, famulisque singulis quotam decreuit ęquam conditioni cuiusque. Consanguineos haud quaquam instituit hæredes; his porrò suam Religionem, non secus ac par esset, prudens, & sciens præferre maluit. Huic plura loca (vt dicunt) montium legauit, honorans simul, & onerans Monasteriũ SS. XII. Apostolorũ huiusmodi legato, vt ex ipsius prouentibus, seu fructibus in annos percipiẽdis, subindèque multiplicandis possint esse præstò omnia, quæ necessaria videantur, vt Seruus Dei Fr. Ioseph à Copertino eiusdem Ordi-

Ordinis Minorum Conuentualium, si quando efficere dignetur Deus vt Cęlicolarum inscribatur Albo, debito nullatenus defraudetur honore, nihil desit quod ad eiusdem gloriam proficere valeat.

Eia alios inclamet Stoicus: *Nihil ad rem pertinet, quo loco desinas: quocumque voles desine: tantùm bonam clausulam impone*. Affatim perfecit hoc Lauræa. Bonam clausulam quippè impositurus, vt spiritu in vita ambulauit, ità carnem, & sanguinem in morte nequaquam respexit. Terrena igitur non sapiens, & sola cælestia quærens, D. Nicolao ex sorore Nepoti annulum tantùm iussit, statuitque tradi Cardinalitium, apud posteros monimentum futurum ingentis beneficij, quo ad Sanctam Matrem Ecclesiam regendam vocatus, à Deo Optimo Maximo cumulatus fuerat. Detractum annulum digito perdurè tradidisse ia-

Sen. ep. 77.

ctat antiquitas Alexandrum Macedonem mox obiturum, qui quærentibus cui relinqueret regnum, respondisse fertur, ei, qui esset optimus. At nos potiori iure gloriabimur Fratrem nostrum ob præclara merita purpura decoratum annulum destinasse Nepoti, vt moneret posse Auunculo dignitate esse parem, si virtute consimilis fieret, tanquàm sua fide certiorem faciens, insignibus meritis nunquam defutura ingentia præmia. Demùm virtus suo lumine illustris est; quòd si Annæo Senecæ Lucillo scribere licuit: *studia te tua clarum, & nobilem efficient*: quis inficiatum eat, nos verius conclamare decere: studia Lauræam sua nobilem, & clarum effecisse? Vera, & propria nobilitas! quæ non nitet alieno, quæ non percutitur extrinsecus veniente fulgore, quę non trahitur, sed habetur:

Curt. de reb. Alex. L. vlt.

Nàm genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco.

Glo-

Glorietur itaque cum Paulo Laurentius noſter omni virtutum genere Eminentiſſimus: curſum conſumaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Nos autem nobismet ipſis commiſerantes doleamus, & conqueramur, tanto viro fuiſſe deſtitutos.

Siquidem febri detentus à duodecimo Kal. Decembris (vt innuimus ſupra) vſque ad pridie Kalendas eiuſdem, die S. Apoſtoli Andreæ venerabili memoriæ dicato, Fratribus ſuis cum ipſomet Ordinis Reuerendiſſimo Generali P. Magiſtro Ioſepho Butari Veneto, nunc Epiſcopo Polenſi, lectulum circumſtantibus, quibus lacrymæ obortæ præbuerunt ſpeciem iam non Cardinalem Lauræam, ſed funus eius viſentis cateruæ, pſalmos ſine intermiſſione recitans, decima octaua die poſt ſextum menſem, annoque poſt dena, ſenaque

æta-

ætatis ſuæ luſtra, Eminentiſſimus Dominus Cardinalis de Laurea, magis virtutibus, & meritis, quàm diebus, & annis plenus, eò tranſmeauit, vbi illum manebat æterna Laurea. De quo ferè nullus relinquitur ambigendi locus, cùm in toto vitæ curriculo veram præ ſe tulerit ſpeciem ſe præparantis ad mortem. Hoc autem efficaciùs præſtitit in ægritudine extrema, in qua omnibus Eccleſiæ Sacramentis vallatus ea ſuſtinuit conſtantia hoſtis inuaſionem, vt poſt ſacram Vnctionem, cuius ego ipſe fui miniſterio dignatus, meam interruperit vocem, qua *miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti* reſonare nitebar; ipſe lætanter ingeminans: *Miſericordias Domini in æternum cantabo*, non ſecus ac in fine belli Dei pietate annunciaret triumphum. Hinc & Dominica prima Aduentus, pridie quàm excederet, inuitus à Medico SS. D. N. Innocentij XII.

per-

percontanti de valetudinis ſtatu: in ſtatu ſe eſſe, reſpondit, expectantis beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris Noſtri Ieſu Chriſti. Nec tanti viri animum præſumptio fortè ſubijſſe cuiquam videatur; abſit enim vt aliter ſenſerit, quàm ſcripſerit: *Turpe quippe eſt* (inquit Seneca) *aliud loqui, aliud ſentire: quanto turpius, aliud ſcribere, aliud ſentire?* Scimus illum locum aliquando ipſum tractaſſe, cum de Fide, Spe, & Charitate non minus luculenter, quàm catholicè verbo, & calamo docuit, gratia Dei nos eſſe quod ſumus: vt properteà & egregia quæ ſcripſit commemoranti, ex ijſque meritorum cumulum ipſum adeptum intempeſtiuè ſatis celebranti ſubtexere non dubitauit pijſſimam vocem. *Haud merita, haud merita, ſed dona gratis data.* Ità animam iam iam afflaturus quàm humiliter ſemper de ſeipſo, quàm altè de

Epiſt. 24. paulo poſt medium.

Dei

Dei Domini sui gratia, cuius causam iuxtà Augustini mentem maximè, & eruditè, & efficaciter in elucubrationibus suis egit, liquidò patefecit, cuius soliditati illud non nihil quadrare videtur.

Sæpè foris Vates quod canit, intus habet.

Diceres morientis lectulum in cathedram mutasse docentis, in ijsdem occupatum sub finem, quibus operam dedit in vitæ progressu: ceu qui intrepidus
Ex Sen. ep. 102. post medium. horam illam decretoriam prospexit, cuius non animo fuit suprema, sed corpori. Nec mirum cum nequaquam ex eorum eruperit latebris, quibus prænunciat Iob: *De mane vsque ad vesperam succidetur: & quia nullus intelligit,* Iob. 4 D. 20. 21.
in æternum peribunt: tandem concludens: *Morientur, & non in sapientia.* Viuet autem in æternum Cardinalis Lauræa, quippè qui intellexerit, & mortuus sit in sapientia: hoc sanè medita-

ditatus, egregiam rem esse mortem, Ex Sen. ep. 26.
condiscere, amoremque vitæ ità minuere, vt si quando res exigat, nihil nos detineat, aut impediat quominus parati simus quod quandoque faciendum est statim facere. Nec ignorauit & magnam rem hanc esse, & diù discēdam, cum aduentat hora ineuitabilis, æquo animo abire. Didicit, docuit, fecit. Id. epist. 30.
Ideò enim lumina, aduentante morte, occlusit, minimè tanquam eius abhorrens conspectum, sed quasi vltro annuens, vt illa iam appropinquaret, quam festinantem clausis ipse oculis excepturus opperiebatur. Abijt, obijt, excessit, opportunè sibi, immaturè nobis, quibus hic dolor accedit, ad Achillis tumulum consistentem datum non esse imitari Alexandrum, qui Felicem te, ait, Iuuenis, qui magno frueris præcone meritorum. Ex D. Hieron. in vit. S. Hilarion.
Tot, tantisque hominis meritis sit ergo præmium in cælis, quandoquidem non satis non

K pos-

possunt esse præconia in terris.

Porrò ut scias vndè tot,tantaque hominis merita,accipe Indicem operum, quæ vel edidit, vel elucubrauit.

Tomus Primus, est de Sacramentis in genere,de Baptismo, & Eucharistia.

Secundus. De Pœnitentiæ virtute, & de Pœnitentiæ Sacramento.

Tertius. De Matrimonio, & reliquis Sacramentis.

Quartus. De Quatuor nouissimis, & de statu paruulorum.

Deindè in Quartum sententiarum luci tradidit.

In Primo Tomo: De Incarnatione, & de omnibus ad Christum spectantibus.

In Secundo. De Virtutibus Cardinalibus, & de Virtutis Heroicæ natura, & signis vtriusque Virtutis heroicæ in specie.

In Tertio in duas partes diuiso. De Fide, & de ea vbiq; propagata, & de modo propagandi.

In

In Quarto. De Spe, & Charitate, & de cæteris ſpiritualibus donis, gratijs gratis datis, præcipuè de Miraculis, quæ maximè inferuiunt ad Sacras Congregationes Rituum, & de Propaganda Fide, cum inſtructione pro Miſſionarijs.

Tomum inſcriptum: Epitome Canonum omnium ordine alfabetico ad commodum ſtudioſorum vſque ad annum quartum Alexandri VII.

Feliciſſimi ingenij fuit, & eius calamus velox ad ſcribendum, ſubtilis, & clarus, ideò ego ſemper eum rogabam, vt ſcriberet in materia difficili de Gratia.

Opuſcula tria de Deo quo ad opera prædeſtinationis, & reprobationis, & gratiæ actualis elucubrauit.

Opuſcula Octo De Oratione Chriſtiana, quæ ità breui tempore piorum manibus expoſita ſunt, vt nullũ apud Bibliopolas reperiretur exẽplũ, & à

multis re quisitus, ideò idem Ego Curatus opus animabus tātó opere salutare secundę editioni datum curaui.

In omnibus materijs vt eruditionem Ecclesiasticam haberet in promptu, pro suo commodo in compendium reduxit Nicolaum de Lyra Ordinis Minorum in totam vtriusque testamenti Sacram Scripturam, quam præ manibus habebat.

Libros Sancti Augustini, Baronij duodecim Tomos; & vnius Hoderici.

Pro materijs Tribunalium S. Inquisitionis Tomos tres Salelles, & praxim exercendam pro iurisdictione S. Tribunalis.

Octo Volumina inscripta. Vota Fratris Laurentij de Lauræa pertinentia ad Sanctum Officium, quia suo tempore multæ crebræ difficultates accederunt, quæ imprimi non possunt, & ex suo testamento reliquit Patri Consultori Sancti Officij,

cij, & ſucceſſoribus pro tempore degẽtibus in hoc Conuentu SS.XII. Apoſtolorum Vrbis.

Pro Examinatoribus Synodalibus, & Epiſcoporum multa compendiosè ſcripſit; ità in omnibus & legendo, & ſcribendo inſudauit, vt communi omnium ſententia ad laborem tantomodò natus exiſtimaretur.

Laborauit ergò verbo, & exemplo, & doctrina, quæ etiam pro ſua deuotione præ manibus quotidiè habebat, conferens in corde ſuo, & in laudem Dei Vitam Chriſti Ieſu armonicè compoſitam iuxta quatuor Euangeliſtas, & deuotæ laudes; Ad Sanctiſſimam Trinitatem, deuotæ laudis Oratio, ad Chriſtum deuota præcatio,& deuota ſalutatio ad Beatam ſemper Virginem Matrem Dei Mariam; gratulatoria humilis, ac deuota Oratio ad omnium Celeſtium Ciuium cum Chriſto Regnan

tium

tium Ordines directa; & Orationes ad suffragia petenda ad Scalam Sanctam, & demùm formulã pro collatis donis gratias agens Domino Deo nostro, quæ omnia iussu Sanctissimi Patris nostri Papæ Innocentij XII. typis committenda curaui ad salutem animarum, & maiorem Dei Gloriam.



ORA-

ORATIO FVNEBRIS

Habita in Ecclesia SS. Duodecim Apostolorum de Vrbe, occasione Exequiarum

EMINENTISS., AC REVERENDISSIMI

FR. LAVRENTII BRANCATI

CARDINALIS DE LAVRÆA

Ab Admodum R. P. Sacr. Theol. Mag.

Fr. Hyacinto Serri Doct. Sorbonæ Ord. Præd.

Corona Dignitatis Senectus, quæ in vijs Iustitiæ reperietur. Prouer. 16.



AMETSI vniuersis hominibus ex naturæ conditione ità sit definita mors, vt illam nobis imminere quotidiè, aut certè non admodùm abesse sentiamus: tamen con-

contingit sæpiùs, vt morte excellentium Virorum ipsi perindè moueamur, ac si omninò mori non debuissent, eosque doleamus cæterorum ritu occidere, quos, si fieri posset, immortales esse cuperemus. Sic etenim nobis eorum vita cara, iucundaque est, vt cum naturæ satis vixerint, satis etiam gloriæ, Ecclesiæ tamen parum vixisse videantur; atque dum illos casus aliquis, aut ipsa moriendi lex nobis eripuit, continuò, quasi communes omnium parentes interierint, tota passim Ecclesia ad parentandum eis excitata conueniat.

Et quid aliud tota Roma nunc agitur? Quid sibi volunt tristissimi funerum apparatus? Quid atrati parietes? Quid hæc præsens sacrorum mœstitia? Quid mutatus Eminentissimi Ordinis color optimus? Quid consessus ille vester? Quid ipsi tandem volumus, quid agimus Auditores? Eminentissimi

LAVRÆÆ mortem, hoc eſt publicam iacturam publica lamentatione deploramus. O rerum humanarum vices! Eram igitur ad hoc deſtinatus, vt poſt triennale ſilentium, quo meę tenuitatis conſcius obſcuris penetralibus delitueram, in hac tandem funerea, ac prope ſepulcrali caligine Oratoris Officium auſpicarer, nouaque triſtitię acceſſione tranſalpini ſermonis horrorem cum exequiali lamentatione coniungerem!

Ita eſt, Auditores, ita eſt. Obſequar tamen impoſitę legi: & qui hactenus ſacram Purpuram è longinquo reuereri non ſatis audebam, pręciſas nunc, ac marceſcentes Eminentiſſimi Senatus ſacratiſſimas lauros funerea manu audaciùs contrectabo. Ac veluti fidelium omnium communis interpres, publicas laudes, & lacrymas Religioſiſſimo Principi dabo; qui nec pro ſuis virtutibus laudari, nec pro noſtro omnium

mœrore lugeri ſatis poteſt.

Quamquàm quid ego iſta cõmemoro? nolo vos ad noua lamenta reuocare, ſed priſtinos,& fluentes etiamnum fletus abſtergere. Mortuus eſt LAVRÆA. At ſi memoriam eius, qua par eſt, pietate colere meditamur, pudeat lugere potiùs vt mortuum, quàm vt viuentem in Domino commendare eum, cuius vita quàm longa, tàm admirabilis; cuius denique mors, non intempeſtiuo gemitu fędanda eſt, ſed immortali præconio celebranda.

Eſt illa virorum omnium, quos æterna Sapientia ad ſuprema Eccleſiæ miniſteria deſtinauit, neceſſaria,iuſtaque conditio, vt ſuis ipſi dignitatibus coronentur. LAVRÆA communi ſorte ſuperior, Iuſtitiæ ſemitas ad ſenium vſque tenens,dignitatis ſuæ laurea fuit, eo Sapientis dignus elogio: *Corona dignitatis Senectus, quæ in vijs Iuſtitiæ reperitur*. Dicam id,Auditores,paulò diſtin-

ſtinctiùs, vt effuſiſſimæ laudationi modum ponam. In Eminentiſſima fortuna religioſa moderatio, in abſolutiſſima eruditione ſumma humilitas, in extrema ſenectute labor aſſiduus LAVRÆÆ dignitatem noua ſplendoris acceſſione coronarunt. Quæ tria dum breuiter explico, attentionem veſtram non tàm dicentis excitabit Oratio, quàm veſtra in ſacros eius cineres pietas, ac veneratio detinebit.

PRIMA PARS.

SVmmam fortunam ſumma ſemper inuidia comitata eſt, vt non tantùm mirabile, ſed prorsùs incredibile videatur, homo citrà inuidiam fortunatus. Hoc habet magna fortuna, vt quoniam naturà inſolens, atque ſuperba eſt, impotentèr dominari velit: hoc habet pariter humana indoles, vt quoniam ſenſum libertatis naſcen-

do affert, seruire nisi coacta non possit. Quo fit vt dum Magnates pro dominandi libidine saturant se honoribus, quos & acerbè exigunt, & arroganter accipiunt, cæteri pro necessitate seruiendi, quod ab eis exigitur obsequij tributum, altera quidem manu pendunt, alterà retinent: In aperto seruitus, & reuerentia; in occulto inuidia & delati palam honoris, iucunda clam, nec sine triumpho retractatio. Sic in illa Magnatum, ac subditorum mutua contentione tota penè Aularum fabula peragitur.

At cum aliquis fortuna modestè parta modestiùs vtitur, cum moribus illam suis, non illi suos mores accommodat; cùm è gloriæ suæ fastigio descendit sine gloriæ insignibus, cùm tanquam priuatus ad priuatos accedit, vultque inter homines homo videri, tunc mutati de repente aliorum animi omnem inuidiæ sensum protinus exu-

unt;

unt; vt ei viro certatim inferuiant, deprimunt ſe vltrò, vt latere volentem è turba eripiant; ruunt ad terram, vt extet, vt emineat, & ab eo relicta dignitatis inſignia cum ampliſſimo noui honoris incremento reſtituunt.

Orationem hanc meam cogitatione præcurritis, Auditores. LAVRÆÆ vultum fideliter adumbratum agnoſcitis. Videlicet nemo quiſquam fortunatior extitit, nemo in tanta fortuna modeſtior. In Seraphicæ humilitatis vmbraculis educatus, longoque annorum tractu ſtadium paupertatis emenſus, nullos extrà Ordinem ſuum honores depopoſcit, maximos tulit, nec ſine inuidia modò, ſed etiam cum omnium Romanorum amore, ac veneratione reportauit. Quòd nullos petijt, modeſtiæ indicium eſt: quòd maximos tulit, virtutis prœmium: quod & ſine cuiuſquam inuidia, & cum omnium Romanorum amore, genus felicitatis

inauditum, & nouum. Ecquæ enim fortuna felicior, quàm inuidiam omnem ità comprimere, vt nunquam appareat; ità delinire, vt ſemper obmuteſcat; ità indole ſua, naturàque exuere, vt amet, vt admiretur, vt ſumma hominis dignitate, famaque lætetur? Et hæc verò inuſitata via eſt, quam optimus Senex tota vitæ ratione feliciter tenuit.

Erat in eo, ſicut meminiſtis, mira conciliatrix animorum, eademque meritorum decus, ac magiſtra modeſtia, in vultu expreſſa, in verbis eminens, inſidens in moribus, in habitu, in cultu, in comitatu; non aſcita, non ſtoica, non fallax, ſed natiua, ſincera, Chriſtiana, Religioſa. Confluxerant in eum iampridem eximia munera, & officia, quibus ad altiora miniſteria concoqui, fortunamque è longinquo ſubodorari licuerat; vnus illi metus fuit, ne ad Aulæ ſtrepitum ex officio voca-

vocatus amica Clauſtri ſilentia deſereret. Epiſcoporum Examinator, Congregationum benè plurium Conſultor, Vaticanæ Bibliothecę Præfectus à Pontificibus conſtitutus, vt & Purpurę matureſceret, & ijs tandèm gradibus ad Principatum aſcenderet, quibus in Cælum aſcenditur: ſua ſe virtute inuoluit LAVRÆA, bonamque pauperiem ſine dote quæſijt. Suæ illum virtutes ad altioris dignitatis ſortem prouocabant, retrahebat moderatio, & intrà modum conditionis Monaſticæ continebat. Huiuſque ſibi innatę virtutis ingenium ſecutus, ſeque in ſe ipſo coarctans, & finiens, commodare ſe tantùm publicis officijs ambiebat, & in ipſo Aulæ Romanæ ſinu, aulicum ſe obliuiſci, ſolùm ſe Religioſum recordari videbatur. Sentiebat quippè vix iuſtus, & integer vitæ quàm difficilè ſit Religioſum hominem, & in ſchola ſimplicitatis edoctum, ea in ſtatione

ver-

versari totum, vbi virtutes, & vitia pariter periculosa sunt. Industria obnoxia inuidiæ, negligentia vituperationi, odiosa seueritas, indulgentia perniciosa, sermo insidiosus, contempta taciturnitas, & irrisa orem inexpertis incredibilem, expertis luctuosam!

In hanc igitur aleam pro meritorum magnitudine inuitatus LAVRÆA diù substitit, diù timuit, suoque inclusus ministerio, & in omnes officiorum partes intentus, latere potiùs, quàm prodire gestiebat. Spes omnes suas finierat optimus Senex; & iam in isto suo secessu, velut in tumulo quodam, consperso coronis, & floribus includebat se, condebatque viuus, vt qui nullos vnquam honores affectauerat, iam repelleret à se omnes, ne importunus illum strepitus ab hac religiosæ vitæ tranquillitate reuocaret: sed frustrà. Vocat eum ad Purpuram meritorum æstimator æquissimus Innocentius XI.,

&

& quem tacitis votis Vniuersus Orbis optauerat, Pontificio oraculo Cardinalem renunciat. O diem fidelium omnium expetitum precibus, desiderijs acceleratum! Quis nostrùm intimos gaudij sensus cohibuit? Quis obmutuit? Quis mediocriter exultauit? *Omnium capax debet esse meritorum*, cùm Cassiodoro exclamabamus, *qui iudicem cunctarum meruit habere virtutum*. Vnus ipse blandienti fortunę subirasci videbatur. Pudebat eum quodam modo delatæ sibi dignitatis, quam & virtuti suæ debitam, eidemque acceptam penè exprobrabat. Magna circa eum immutatio, magna prorsus, Auditores: In eo planè nulla. In noua vitæ conditione idem viuendi modus, & sub Eminentissima Purpura Religiosi hominis pudor. Maior authoritate, virtute similis; superbum Principis titulum Religiosi nomine mitigatum modestiæ, ac pietati cedere iussit. In

Cardinali idem vultus, idem animus, idem ille LAVRÆA, cum dignitate hilaris, cum vrbanitate grauis, cum blanda feueritate affabilis; Carus ęqualibus, iucundus infimis, fine vilitate fimplex, fine oftentatione moderatus. At quò magis moderatus, eò nos illum impenfiùs colere, laudare, admirari, nolentem, ac penè iratum effusè venerari; quocumque ingrederetur, ire obuiam, venientem excipere, tranfeuntem falutare, intueri, monftrare inuicem; de illius fortuna vehementiùs, quàm de noftra lætari.

Æftimate iam, Auditores, per me licet æftimate quanta fit huius magnitudo modeftiæ, quàm gloriofa cum Eminentiffima dignitate coniunctio. Mihi quidem longè eft aliud, quod mirer. LAVRÆA in illo dignitatis fuæ faftigio non vacua, non exfterna, quibus hominum oculi pafci folent, priftinæ conuerfationis tulit infignia, fed occul-

occulta, ſed intima, quibus ſpiritu, ac veritate colitur Deus, Orationis feruor, Sacrorum frequentia, Ieiuniorum Religio, Paupertatis amor, qualis in Clauſtro; talis in Solio: vt non Ordini Seraphico Religioſum ereptum diceres, ſed Principem datum, & verè Principem, qui quantum valuit authoritatis & gratiæ, id omne ad Inſtituti Religioſi patrocinium conſecrauit. Ornandæ rei ſacræ zelus quàm ardens ille, quàm ingens vel me ipſo tacente huiuſce ſacratiſſimi Templi frons eius ære poſita, ara princeps, accenſæ lampades, pictæ tabellæ, appenſa tholo anathemata, quod ad diuturnitatem oratio caduca non poteſt, multò perenniùs prædicabunt. Sacrorum frequentia quàm accurata, quàm diligens, ex hoc vno intelligite, Auditores. Incruentum Altaris Sacrificium impretermiſsè vigeſies millies, & ampliùs obtulit; quem numerum in ſcheda no-

tatum, omni hæreditate prætiosiorem, suis hæredibus consignauit, vti suæ in Deum fidei Chirographum, certamque diuinæ misericordiæ cautionem. Mentalis orationis, qua Deus animabus in solitudinem ductis intimè loquitur, quæ mensura in vsu sit, satis intelligitis, quotquot religiosæ professionis, ac nominis estis. Cælestis Ierusalem habitatores imitati, post effusa supremo numini laudum cantica, mediæ horæ silentium indicitis: *factum est*, inquit dilectus discipulus, *silentium in Cælo quasi per mediam horam*. LAVRÆA altior Cælis factus, silentium ad horam integram producebat, vt sponsum ad cor loquentem vberiùs auscultaret. At quid putatis, assumptus ad purpuram? num illam secretioris silentij horam prætumultuantis aulæ necessitate vel inuitus saltem intermisisse putandus erit? fallor, Auditores, addidit alteram. Satis, opinor, intelligens humanam

Apoc. 8.

men-

mentem,quò magis externorum negotiorum multitudine defatigatur,eò frequentiùs diuinarum rerum meditatione reficiendam.

Verùm quò me cogitanter abripi sino? Ego ne huc veni, vt quæ intimo cordis ſinu LAVRÆA continuit, quæ tegi, quæ condi voluit, in apertam numeroſiſſimi conſeſſus lucem inferrem? Aut in hanc ego orationem ingreſſus ſum, vt quam in Eminentiſſima dignitate modeſtiam extuli, eamdem illam imprudenti ſecretiorum virtutum commendatione violarem? hoc ſi velim, non ipſi vel exanimes Eminentiſſimi Viri cineres vtique patiantur.

Id circò me reuoco,Auditores,ad eximiam illam, quæ nulli vnquam nota non fuit, eruditionem ſingulari humilitati coniunctam, extremamque ſenectutem, nullo vnquam ſtudio fractam, nullo labore ſuperatam.

SECVNDA, ET TERTIA PARS.

SI quæ vnquam difficilis visa est eruditionis cum humilitate coniunctio, ea certè præ cæteris difficillima, quam excellentissimæ dignitatis conditio postulat. Cum enim suapte naturà eruditorum animus intumescat, duplici titulo superbire solet, vbi se altiori loco positum experitur, ac probat. Id verò, quod mirandum magis, vsque adeò ingenitum est, vt licèt secretioris superbiæ sensu, humilitatis vultum multi conentur induere, nunquam tamen sub ementita larua toti delitescant. Erumpunt vel inuitis innatæ leuitatis malè dissimulata indicia, & sæpiùs quàm vellent recurrit ingenitæ iactantiæ motus, minimèque opinantes intercipit, obruitque. Hinc illa Viris vel mediocriter eruditis indita magniloquentia: hinc grauitas, audacia, supercilium, quo sua cæteris inge-

ge-

genijs fata cælesti veluti natu decernant.

Aliud, aliud in LAVRÆA vidimus, aliud inspeximus; aliud comprobauimus. Vir animæ magnæ plenissimus, ingentium studiorum capax, omni eruditionis genere perpolitus; cuius in verbis quot apices, tot effata, quot sententiæ, tot oracula; nusquam sibi perstringi oculos passus est. Aduersus omnes humanæ laudis illecebras sua se modestia sic muniuit, vt scire quantus esset nec vellet ipse, nec alij facilè possent. Ex ipso eruditionis suæ splendore vilem illam, proiectamque humanę gloriæ mercaturam pedibus obtriuit; alijs eruditis exemplum; alijs pudor, omnibus forma, & species humilitatis. Nihil illi ad pompam, nihil ad fastum; Gregorijque ter Maximi consilium secutus, doctrinam suam felicissimi ingenij partum, non sibi, non gloriæ suæ nefario velut incestu seruire

vo-

voluit, ſed omni ambitionis fuco exutam tanquam Virginem caſtam Chriſto exhibuit.

Teſtes Vos appello quotquot adeſtis, quibus Purpuratum Theologum propiùs intueri licuit, ac contemplari. Quàm blandè ex illo eruditionis ſuę faſtigio deſcenderet? Quàm piè ingenij acumen, doctrinæ vbertatem, dicendi facundiam temperaret? Quàm Chriſtianè alienæ tenuitati innata ſibi ſimplicitate ſe commodarit? Quàm religiosè callidę adulationis obſequia, vti ſuæ Maieſtatis iniuriam procul abijceret.

Ite nunc quos ſcientiarum tantùm gloria mouet, ac delectat. Prædicate quàm voletis ſacræ Theologiæ reconditiſſimam eruditionem; Pontificij, Cęſareique Iuris ſtudium ingens; Aſceticæ ſcientiæ peritiam nulli non imparem; Scripturarum, ac Patrum lectionem immenſam; hiſtoriæ tùm profanæ,

næ, tùm ſacræ pleniſſimam cognitionem: ego vnam pijs eius manibus humilitatem gratulabor; qua ſeipſo maior, totuſque in Deum erectus, ſuæ ſibi doctrinæ merita diſſimulabat.

Nec tamen putetis, Auditores, ſub otioſo humilitatis velo LAVRÆAM plus æquè delituiſſe. Sibi non Eccleſia delituit: vt qui nihil ad ſui celebritatem nominis egit vnquam, omnia ad vtilitatem Eccleſiæ incredibili attentione conuerteret. Reuocate, quæſo, animos veſtros ad imaginem vitæ, quam agit vniuerſam. Quis in annorum ſpatio duorum & octoginta ab officijs vacuus locus? quid abruptum? quid inane? quàm diuturna vita, tàm actuoſa; non demerſa otio, non tenebris inuoluta torpuit. Verſata eſt in continuis laboribus, in ſtudijs, in omnium oculis, in difficillimis temporibus viſa, iactata, nec ſine magna publicę admirationis vſura traducta eſt.

Iam verò in illa vltima luce Eminentissimæ Dignitatis, quam accepit, vt à tanto Pontifice non inuitus, vt in tanta senectute non libenter, quid aliud amabò nisi maiorem laborandi, vigilandi, agendi molestiam reportauit? Purpuram induit, vti sacrum Pontificiæ beneuolentię pignus; at induit non ad pompam, non ad otiosæ ornamentum ætatis, sed ad nouam laboris, & contentionis accessionem. Successit immenso decem Congregationum oneri animosus Senex, *Nihil ex annis habens*, vt cum Possidonio loquar, *nisi maiorem rerum vsum, & debitam ætati suæ reuerentiam*. Dedit se causarum, iudiciorumque tumultui, nec partem vllam sui, non spiritum, non sanguinem, non vim reliquam corporis, non aciem ingenij passus est publicæ vtilitati non vectigalem.

O vtinam in eo, qui se mihi nunc campus aperitur, se mea iactare, & ex-

currere poſſet oratio! offerunt ſe ſe mihi traducti in ſumma rerum tractatione dies omnes, ijdemque multiplici factorum gloria cumulari. Verſatur ob oculos aſſidua illa; & indefeſſa ſollicitudo, qua ſic omnes officij partes implebat, vt illum (quemadmodum de Traiano notauit Plinius) *Labore refici, ac reparari credidiſſes*. In Pan. Venit in mentem mira illa dicendi facundia, qua ſic omni de re, quæcumque in ſacris conſeſſibus ſe offerret, ex tempore pronunciabat, vt eius oratio non facta, ſed nata, non quæſita, ſed inuenta, recitata de ſcripto, non ex intimo doctrinæ penu deprompta videretur, ſed ecce per medias laudes, velut è tranſuerſo occurrit, acerbiſſima mortis, quam lugemus hic, cogitatio, quæ vires meas, mentemque debilitet.

Abſit nihilominus, Auditores, vt hanc vltimam mortalis LAVRÆÆ contubernij ſtationem cęteris inferio-

rem existimemus, quas mihi silentio præterire necesse fuit. Imò verò id in Eminentissimo Viro mirandum magis quòd quem non satis hactenus noueramus, multò eminentior, ac maior in ipsa morte apparuerit. Exteriora sæpissimè quidem, interiora non dum penitùs videramus. Erumpebant quidem vel inscienti, vel inuito latentium quasi fulgores, ac scintillæ virtutum! sed hæc illum particulatìm, vt ita dixerim, & in recessu tantùm nobis admirantibus ostendebant. Sola mors, quæ maxima quęque obruit, LAVRÆAM veluti nouo in lumine spectandum collocauit: hæc ei sua rectè factorum inuolucra eripuit: hæc cælestem eius animum aperuit: hęc arcanæ Sanctitatis sacraria reserauit: hęc denique interiores, reconditasque virtutes in extremo illo vitæ actu conspiciendas explicauit.

Vos quicumque ęgrotanti, & morien-

rienti affuiftis, quique hìc adeftis, quid finguli videritis, quidue audieritis, pro me vniuerfi declarate. Commemorate quàm crebra fuerint, quàm fincera, quàm nullo corrupta faftu Religionis teftimonia? Quàm humilis, quàm amara noxarum recordatio; quę confeffio, qui dolor? quàm fępè diuinæ mifericordiæ fubfidium imploratum? quæ rerum caducarum faftidia, quæ defideria ęternarum? Commemorate quanta eius in expectandà morte conftantia, in intuenda tranquillitas, in obeunda religio? Non mens ei fenio fluxa, non oppreffa morbo, non extincta languore, fed ab annis, & infirmitate vires accipiens, non modò fingulis momentis corpus emori fentiebat, fed illius etiam funeri, quod parauerat, intereffe, & ad tumulum penè deducere fuperftes ipfa lętabatur. O fpectaculum luctuofum æquè, & admirabile! mortis nuncium non ab intimis,

non à suis accepit, sed dedit ipse: dedit verò vocatis ad lectulum Fratribus, vt eorum in gremio vitam deponeret, quos suo ipse sinu continuò fouerat. O spectaculum, inquam, luctuosum, & admirabile! *Lectulus morientis, Cathedra est magistri docentis*; Vndè & voce,
Aug. & exemplo docet quàm humiliter de se ipso, quàm altè de diuina gratia sentiendum; Dum cuipiam sua illi pro adornatis operibus egregia merita intempestiuè commendanti, *non merita*, inquit, *dixeris, non merita, sed dona gratuita*. Dolet scilicet contemptor sui animus existimatione aliqua dignus videri: ęgrè patitur aliquid in se laudis, & glorię deriuari, quam vni scientiarum domino integram, plenamque restituit. Tùm rerum humanarum derepentè immemor, terrenis cogitationibus subductum animum soli Deo consecrauit, & cum placido singultu iam vox oppressa crederetur: Psal-
mum-

mumque Dauidicum fidelis amicus inciperet, *Miſericordias Domini*, ille vocem rumpens, *in æternum cantabo*, inquit, & extinguitur, & cantabis verè, Pijſſime Senex, Miſericordias Domini in æternum cantabis in illo beatorum domicilio, *vbi Deus ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione* Aug.
laudabitur.

At nos miſeri mortales, qui procul à Cœleſti patria in hocce terreno exilio detinemur, quid agimus? quid intendimus? quo animo ſecuros illos morientis Principis ſenſus excipimus? hos illi pię fiducię ſenſus non eminentia dignitatis, non doctrinę ſublimitas, non celebritas nominis, non fama, non gloria fecit; ſed anteactę vitę Religio, & vſurpata per omnem ętatem diuinę miſericordię meditatio. Vt ſi grandes LAVRÆA titulos æmulari tenuitas noſtra ſatis nequit, eius certè modeſtiam, humilitatem, Religionem, tuendę veritatis ſtudium imitemur.

LAVS DEO.





